

ab ipsis uel successoribus suis homagij uel fidelitatis exigere seu oblatum recipere audeat iuramentum maxime cum sicut asserunt pro aliquorum receptione regalium seu feudorum obtentu eisdem Regi et Baronibus seu alijs personis secularibus obnoxij aliquatenus non existant Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus predictos Archiepiscopum eiusque suffraganeos tociusque Regni prefati clerum non permittas super hijs contra confirmationis & constitutionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari. Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni VI. Jdus Decembris. Pontificatus nostrj Anno Octauo.

Bullan saknas; men segelgarnsnöret, hvarpå den hängt, är qvar.

384.

1250 d. 23 Dec.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s öppna Bref om fyratio dagars afslat för alla, som på S:t Laurentii dag besökte kyrkan i Upsala, eller ock inom åtta dagar derefter.

A. 2. a. 23.

JNNOCENTJUS episcopus seruus seruorum dei. Uniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Salutem et apostolicam benedictionem. Loca sanctorum omnium pia et prompta deuotione sunt a christi fidelibus ueneranda. ut dum dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles deo reddant, et illorum nobis uendicantes quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes igitur ut Ecclesia Vpsalensis ad quam sicut Venerabilis frater noster . . Archiepiscopus Vpsalensis sua nobis insinuatione monstrauit. in festo beati Laurentij martiris in cuius est honore fundata, fidelium confluit non modica multitudo congruis honoribus frequentetur. et accedentes ad eam celestis domino gratie gaudeant se refectos. omnibus uere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in eodem festo, et infra octauas, eiusdem, uenerabiliter uisitauerint. de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi. Quadraginta dies de iniunctis sibi penititijs annis singulis, misericorditer relaxamus. Datum Lugduni X kal. Januar. Pontificatus nostrj Anno Octauo.

Bullan bortfallen: röda och gula silket qvar.

385.

1250.

Drottning CATHARINAS gåfvobref på 2:ne gårdar i Kil till Nunnorna i Gudhem kloster för en der intagen jungfru.

A. 3. a. 2. 5. (och 2. 41. b.)

K dei gratia regina sweuorum. B. eadem gratia dux sweuorum vniuersis presens scriptum inspecturis & lecturis salutem in omnium saluatore.

Nouerint tam presentes quam posteri quod ego katerina sweuorum regina dum deo placuit claustro gutheym & sanctimonialibus ibidem deo seruientibus predia in Kil que duo incole incolunt pro quadam iuuene puella. J. nomine que ad eas intravit assignaui perhenniter possidenda. Vt igitur omnis in posterum calumpniandi cedat occasio presencium seriem sigillo nostro nec non & B. ducis sigilli munimine & domini. L. scarensis fecimus roborari. Nulli ergo &c. nostre donationis &c. Datum Anno domini M°. .CC°. Quinquagesimo.

Sigillen, som hängt på hvita lärfstrådar, saknas.

386.

1250—1251.

HOLMGER, FOLKE JARLS SON stadfästar Drottning CATHARINAS gäfvor till Gudhems kloster.

A. 3. å. 1: 4.

Nobili et deo deuote Dilecte sibi Domine. K. sveorum regine fratis sui pie memorie Domini. Sunonis quondam filie. Et dilectissime sibi sorori sue. Domine. K. priorisse de Gudhem. et omnibus sanctimonialibus totoque conuentu eiusdem loci. H. Domini Folconis quondam Ducis filius. salutem in domino omnium saluatore. Deo testificamur et vobis Dilectissime nobis Domine. K. Regine. quod donationes quas claustro. Gudhem. nobis & aliis bonis quamplurimis presentibus de patrimonio vestro & matrimonio legitime assignastis. numquam in meis temporibus calumpniari vel Donationes tam legitimas vita nostra commite sustinebimus ab aliquo mortalium incausari. Sed si ita contigerit quod aliquis ausu temerario. donationes istas vel alias pro vobis cassare. vel aliquibus modis vobis iniuriari voluerit. certissime teneatis nos vobiscum firmo pede velle stare pro nostris viribus ad vincendum. Valete in christo ihesu. & pro me deprecor exorate.

387.

1251 d. 17 Jan.

Wallum.

Kon. WADEMARIS Stadfästelse på Drottn. CATHARINAS Donation till Gudhems kloster och skifte med sin syster.

A. 3. å. 1: 6. *)

Vniuersis sancte matris ecclesie filiis presentes litteras uisuris & audituris. Waldemarus Dei gracia Rex swechie. salutem vite presentis pariter & future. Cautum esse creditur & consonum racionj. vt ea que de plena deliberacione fiunt & cum bonorum ac discretorum uirorum consilio statuantur scripture testimonio. que de temporum uarietatibus incommutabilj sem-

*) Finnes äfven A. 3. å. 5: 1. i en vidimation af Ärke-Bisk. OLOF i Upsala d. 6 Febr. 1320.